



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-/berstattensis, De Varietate//
librorum, siue de Amore cœlestis// patriæ libri. III. ...**

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1531

VD16 H 231

I De qualitate futurae ac perpetuae vitae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29814

DOMINI HAYMONIS EPI.

SCOPI HALBERSTATTEN

sis, de amore cælestis patriæ,
liber primus.

De qualitate futuræ ac perpetuæ vitæ.

Caput I.

Prosp.



E futura enim vita plus credendum est quam scribitur. Quia nec potest tantum inde proferri sermone, quantum potest mente complecti. Et minus concipit mentis quamlibet profunda complexio, quam se habet rei ipsius magnitudo. Ergo futura vita creditur beata sempiterna, & semper beata, ubi est certa securitas, secura tranquillitas, tranquilla iucunditas, felix æternitas, æterna felicitas: ibi amor perfectus, timor nullus, dies æternus, alacer motus, & unus omni spiritus de contemplatione dei sui, ac de sua cum illo permanescione securus. Vbi ipsa ciuitas, quæ est angelorum sanctorum, & hominum congregatio beata, meritis fulgentibus micat æterna salus exuberat, veritas regnat. Vbi nec fallitur quisquam nec fallitur: unde nullus beatus ejus citur, qui nullus miser admittitur. Ad quam qui bonorum operum consummatione peruenient beatissimis angelis similes erunt, & simul cum deo suo sine fine regnabunt. Quod hic crediderunt, ibi videbunt, sui creatoris sub-

LIBER PRIMVS.

stantiam mundis cordibus contemplantes, æterna exultatione gaudebūt. Dilectione diuina ac mutua delectatione possessi Deo suo in æternū, & in uicem sibi feliciter adhucrebunt, & in illa æterna vita omnes Sancti Deum videbūt, vbi sine fine gaudebunt. Ibi gaudebūt, vbi premiū reportabūt: ibi recepturi sunt premiū, vbi non solū deuictis, sed etiā finitis hostibꝫ triumphhabūt: ibi triūphabūt vbi ulterius aduersari um non timebunt. Ibi humanorꝫ peccatorū tanta & tam perfecta erit munditia, vt habeant unde munda tori suo Deo gratias agant, non unde offensi aliquibus peccatorꝫ cordibus erubescant. Quia ibi nec vlla peccata, nec peccatores erunt, & qui ibi fuerint iam peccare nō poterunt. Ibi em̄gaudent, & sine fine gaudebunt. Ibi hymnidici Angelorꝫ chori, ibi & societas supernorum ciuium, ibi dulcis solemnitas à peregrinationis huius tristri labore redeuntiū. Ibi prouidi Prophetarꝫ chori, ibi iudex Apostolorꝫ numerus, ibi innumerabilem martyrꝫ victor exercitꝫ, tanto illic laetior, quanto hic durius afflatus. Ibi confessore constatia premijs sui perceptiōe consolata. Ibi fideles viri quos à viriditatis suo labore voluptas seculi emollire non potuit. Ibi sancte mulieres quae cū seculo sexum vicerunt. Ibi pueri, qui hic annos suos moribus transcenderunt. Ibi senes, quos hic etas de Prosp. biles reddidit, & virtus operis non reliquit. Ibi quicunqꝫ erunt, et si differentibus meritis ab inuicem distabant, omnes tamen vna perfectione beati erunt. Quia singulis premijs sua sufficientia erunt, & capere amplius premijs suis iam perfecti non poterunt:

Greg.

a iiiij

HAY. DE VARIET. LIB.

& in illa tanta beatitudinis regione nec maiora me-
rita sibi aliquis arrogabit. quia arrogantia ibi nulla
erit: nec superiori inferior inuidiebit, quia inuidia ibi
esse non poterit. Et ideo si ibi erit distantia mansio-
nū, summa in illis erit vnius perfectionis æqualitas,
quibus erit regni cælestis vna felicitas. Denarius qui

Aug. **Mat. 20.** dem ille equalis est illis omnibus, quē pater familias
eis qui operati sunt in vinea iubet donari omnib⁹,
non ideo discernēs qui minus, & qui amplius labo-
rauerunt. Quo vtiq; denario vita significatur æter-
na vbi amplius alio nemo viuit. qm̄ viuendinon est
distantia, nec in æternitate mansura, sed multe man-
siones diuersas meritor⁹ in vnitate æterna significat

1. Co. 15. dignitates. Alia eñ gloria solis, alia gloria lunæ, alia
gloria stellar⁹: Stella enim à stella differt in gloria, sic
& resurrectio mortuor⁹. Tanq; stelle sancti diuersas
mansiones diuersæ claritatis, tanq; in cœlo sortiunt
in regno, sed propter vnum denariū nullus separat
à regno: atq; ita erit Deus omnia in omnibus: vt qm̄
Deus charitas est, per charitatē facit, vt quod habet
singuli, cōmune sit omnibus. Sic eñ quisq; etiam ipse
habet, cum amat in altero, quod ipse non habet. Nō
erit itaq; inuidia imparis claritatis, cum regnauerit ī

Grego. omnibus vnitas charitatis. Quāuis in illa retributio-
ne perpetua ea dignitas omnibus non fit, vna tamē
erit omnib⁹ vita beatitudinis. Vnde & per semetipm
dominus dicit: In domo patris mei mansiones mul-

Ioan. 14. tæ sunt. Sed tamē qui in vineam cōducti sunt, quam
uis diuersis horis venerint, vnum tamē denariū per-
ceperunt. Qua itaq; ratione conueniant mansiones

LIBER PRIMVS.

multe cum uno denario nisi quia diuersae quidem beatorum ciuium dignitates erunt, sed tamem una requies eternae retributionis. Nam & si dispar erit meritum singulorum non erit diuersitas gaudiorum. Quia etsi alter minus, atque alius amplius exaltatur, omnes tamen unum gaudium de conditoris sui visione letificantur: & semel illius beatae vitae facti participes, inexplebiliiter autorem beatitudinis suae conspicuntur. Et merito suae stabilitatis in eternum felices effecti, de sua permansione securi sunt, qui summum solidumque gaudiu[m] quo inexplebiliiter perfruuntur de diuina contemplatione percipiunt, ac Deo suo infatigabiliiter & amanter inseruiunt. Ita perfecte beati, ut nec cupiant beatiores fieri ultra nec valeant. Erit enim illis in illa beata patria, intellectus sine terrore, memoria sine obliuione, cogitatio sine perniciione, charitas sine simulatione, sensus sine offensione, incolumentas sine debilitate, salus sine dolore, vita sine morte, facilitas sine impedimentoo, saturitas sine fastidio, & tota sanitas sine morbo. Ibi nec fletur nullus potest esse, nec gemitus. Habebunt ibi omnes Sancti amorem perfectum, timorem nullum, gaudium sempiternum. Ibi erit voluntas recta, cupiditas nulla. Quoniam fruendo caelestibus bonis, ad quem peruenire cupiebant, nihil eis deerit quod ultra co[m]cupiscant, & illi perpetua regione securitatis ac pacis perfecte beati, nec timoris stimulos passuri sunt, nec doloris. Ibi erit omnium fidelium catholicorum salus plena, corruptibilitas nulla, & immortalitas beata. Ibi erit prudentiae ac sapientiae perfectio vera, rerum omnium cognitio tota. Ibi quicunque saluus fuerit, peri-

a v

HAY. DE VARIET. LIB.

reveltranon poterit, sed animus Deo subiectus, cum carne sibi subiecta regnabit in pace sempiterna. Quae autem lingua dicere, vel quis intellectus capere sufficit illa superne ciuitatis quanta sint gaudia, angelorum

Greg. rum choris interesse, cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere, presentem vultum Dei cerneret, incircumscripsum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari?

Nemo namque mortaliū dicere aut cogitare potest, quanta in illa perpetua regione sint gaudia iustorum,

s. Cor. 2. dicente scriptura: *Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascēdit quæ præparauit Deus diligentibus se.* Diligamus ergo Deum fratres charissimi, eius videlicet mandata custodiendo.

Diligere enim Deum mandata eius custodire est.

Ioan. 14. Ipse enim ait: *Siquis diligit me sermones meos seruabit.* Et Ioannes in epistola sua ait: *Qui dicit, quia diligō Deum, & mandata eius non custodit, mendax est.*

1. Ioa. 2. Curemus per omnia mandata dei in quantum ipse dederit custodire, eleemosynas faciendo, orationibus, lachrymis, vigilijs, iejunisq; insistendo. Bona quibuscumque possimus operando, ea quæ mala sunt declinando, & q; sancta & Deo placita sunt, ipso adiuvante totis viribus operando, ut peruenire mereamur ad sanctam societatem Angelorum ciuium, æternam Hierusalem: in qua ē electorū omnium societas sancta, solemnitas certa, requies secura, pax vera, vita perpetua. Ad quam illorum omnium qui in ea sunt meritis & precibus adiuti mereamur ascendere, eo